

Georg Radow

**Georgius Radovius, D. & Antecessor, inclyti Collegii ICtorum Senior, & ad hunc actum Decanus, Suo, suorumque Dnn. Collegarum nomine Ad Disputationem Inauguralem Dn. Nicolai Wilhelmi Krugerti, Megapol. Iuris utriusq[ue] Candidati Clarissimi, Ad Diem XXIX. huius Mensis solemniter habendam, Magnificum Dn. Rectorem ... officiose invitat : [P. P. Rostochii sub. Sigillo Facult. Iuridicae d. XX. Aug. A. M.DCLXXXII.]**

Rostochi[i]: Keilenbergius, 1682

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740054252>

Druck Freier  Zugang



RU für 1682  
Radovius, Georg 16  
Kriegert, Nicol. Wilh.  
mit Programm

Willensänderung des Erblassers.  
= Testamentänderung



47  
GEORGIUS  
RADOVIUS,

D. & Antecessor, inclyti Col-  
legii Ictorum SENIOR, & ad  
hunc actum,

DECANUS,

Suo, suorumque DNN. Collegarum,

nomine,

AD

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

DN. NICOLAI WIL-  
HELMI KRUGERTI,  
MEGAPOL.

Juris utriusq; Candidati Clarissimi,

*Ad Diem XXIIX. hujus Mensis solemniter habendam,*

MAGNIFICUM DN. RECTOREM,

Nobilissimum, Amplissimumq; utriusq; Reipublicæ

Senatum, ceterosque omnes omnium Ordinum Cives

Academicos & Literatos, horumque Fautores observan-

ter & officiosè invitat.

ROSTOCHL, TYPIS V. ID. B. KEILENBERGL UNIV. TYP.





*Voluntatem* perpendit Theologus, tractat Jctus, exquirat Philosophus. *Iste* conditionem ejus in rebus spiritualibus examinatur, admiratur & extollit integram, imaginis divini merito, eximii iustitiae sanctitatisque concretae muneribus excellentem: deplorat ac extenuat corruptam, flebilis conditionis servam, tantum ad malum pravam. *Ille* actibus hominum, eam accommodat, siquidem voluntas & propositum distinguant maleficium *c. dilectus. 13. extr. de homicid.* & qualis quisque sit, non ex actione sed voluntate judicetur, *Arist. lib. 2. Eudem: C. II.* quae actionis tam bonae quam malae principium, uti idem inquit Arist. *I. M. c. 12.* & virtutis causa est, *c. 5. dist. 56. Hic & Metaphysicus, & Physicus & Moralis,* sive rerum contingentiam ex libertate causarum rationalium ceu fonte ac radice omnis contingentiae deducens; sive principem animae potentiam penetrans; sive actionum quarumcunque civilium principium considerans, naturam ejus inquirat penitus, fusiusque explicat. Ab hoc itaque mutuari, inspectis saltem eminentibus ejus penetrabilibus, quantum negotio nostro suffecerit, pensi nobis erit. Et varie quidem, dicta eleganter, ut putant aliqui, à *volatu voluntas*, eò quod animus, quod vult, perniciosissime motus transferatur, significat: nimirum, quandoque ipsam volendi facultatem, interdum actum volendi in volente, jam ipsum volitum annotante ex Damasc. *Phil. Sob. sect. 1. p. 233.* Quarum *ultima* significatio locum hic plane nullum, *prima* aliqualem: prout enim actus omnis, uti loquuntur Philosophi, videt potentiam suam oppositam: ita sine hujus aliquo respectu, is commodè explicari nequit. Sufficiet nunc tribus verbis indicasse: voluntatem, ut significat potentiam volendi, alteram animae nostrae facultatem esse, cognitionem intellectus, qui proprium appetitus sui principium, & altera illa princeps animae potentia est, insequentem *Aristot. lib. 3. de Anim.* Prout enim

enim sensus cognitionem sequitur inclinatio & propensio  
ad objectum sensitivæ parti congruum: ita ex cognitione  
mentis oritur appetitus, prosequens objectum menti con-  
veniens; Illa dicitur appetitus sensitivus, hic voluntas, ap-  
petitus rationalis, 3. *Eth. C. 8. Secunda* proprium invenit: est  
namque voluntas juxta Augustinum *Quest. i. in pr. Caus. 15.*  
*animi motus* nullo cogente ad aliquid vel non imitandum  
vel adipiscendum, sive prout ab Arist. definitur *L. 3. Ethic. c. 4.*  
*1. Rhet. c. 10. cum ratione appetitio boni.* Ex quâ ultimâ de-  
finitione, juvabit non nulla de *voluntate*, & quæ ei essentialiter  
connexa, *libertate*, omnis mutationis principio cogno-  
scere. Ex *appetitum* quidem eam dicit: cumque is vel  
sequatur cognitionem, præcipuè mentis, de quo, quantum  
hic satis est, jam jam monuimus; vel absque cognitione tali  
sit (prout huic distinctioni similem, definitioni quoque  
nostræ proximè præmittit *l. c. Philosophus*, dum alia nos  
prosequi dicit per *appetitionem rationis participem*, alia  
per *expertem rationis*) prioris generis appetitum hic intel-  
ligi clarè patet, ideoque ea quæ volumus, appetitu rationis  
nos expetere, procul omni dubio est. Nunc disquiri præ-  
primis meretur, quo pacto sit cum ratione talis appetitio,  
quomodo cum ratione coëat? utra ab altera excitetur, aut  
moveatur? numque voluntas à iudicio intellectus determi-  
netur, qualis quidem determinatio necessitans, voluntatis  
tolleret & libertatem & mutabilitatem? Etiam si itaque ad a-  
ctionem utraqve animæ facultas concurrat, solius tamen  
appetitus proprium est, ad agendum movere. Hinc Arist.  
*L. 1. M. M. C. 13. ad id quod agimus, nos impellit appetitus.*  
Solent hic DD. Scholastici, distinctione tali, illustrationis  
gratiâ, uti: moveri sc. aliquid, vel ad exercitium actûs, vel  
adejus specificationem. Prius quod attinet, nullum aliud,  
à quo moveatur voluntas, principium agnoscit, sed suâ li-  
bertate.

bertate excita ad actionem procedit. Et quamvis actum  
volendi elicere non potest sine præviâ aliquâ cognitione,  
hæc tamen appetitionem ipsam non efficit, sed ut conditio  
& causa sine quâ non se habet. *conf. Rachel. de princ. act. Mor.*  
*Disp. 3. § 26.* Quod verò specificationem actuum attinet,  
ut in certum objectum feratur voluntas, id verò à prælu-  
cente intellectu est, qui voluntati hanc aliamve rem ceu  
bonam commendat, eamque ceu potentiam cœcam ita  
quasi illustrat ac dirigit. Quod si etiam intellectus tumultu  
affectuum, quorum seditione animus agitur *9. Ethic. C.*  
*5.* turbatus fuerit, sæpe is etiam voluntati bonum non ve-  
rum, sed fucatum laudat. *Hornej. ph. mor. p. 184. Durr. Probl.*  
*mor. al. 25.* Neque verò hæc à iudicio intellectus orta de-  
terminatio ita accipienda, ac si voluntas necessario in istud  
objectum ab intellectu commendatum feratur: Salva e-  
nim hoc pacto stare libertas voluntatis non potest, stante  
iudicio intellectus tali, quo voluntas ad id quod expetit, ita  
per determinationem alligetur, ut aliud, etiam contrarium,  
velle nequeat. Notum deinde est, intellectum non mo-  
vere voluntatem, nisi proponendo & ostendendo rem, amo-  
re odiove dignam; at hoc est illuminare ac dirigere, non  
impellere voluntatem ad volendum, aut producere vo-  
litionem. Excitat quidem propositio objecti appetitum,  
ut appetat; necessitatem tamen ei non adfert, ostendere  
enim aliquid appetibile esse, non est, ostendere illud ne-  
cessario esse appetendum. *vid. Wendel. Ph. mor. L. 1. C. 4.*  
*p. 292.* Est autem præterea voluntas, appetitus cum ra-  
tione boni, idque, cum vel revera tale, vel apparens sit,  
voluntatis in genere seu præcisè consideratæ, objectum est  
bonum in communi, huius verò vel illius voluntatis, bo-  
num apparens. Quia verò hic vel ille, omnesque alii, aut  
probæ notæ inveniuntur, aut secus: Inde voluntati viri  
probi, non nisi quod revera bonum est, improbi autem,  
bonum

bonum apparens adjudicat Aristot. *L. 3. Eth. Nicom. c. 4.* hinc  
*5. Ethic. 9.* ait: *nemo id vult, quod non existimat esse bonum.* Cui  
elegantè accinit Seneca Ep. 69. *Mercede te vitia sollicitant,*  
*nullum sine auctoramento malum est, avaritia pecuniam promit-*  
*tit, ambitio purpuram & plausum &c.* Sequitur nunc ut insti-  
tuti habitâ ratione, de libertate, quæ ut necessarium volun-  
tatis consequens, vel ipsa facultas ejus essentialis, prout com-  
muniter habetur, proximè connectitur, cum ejus præpri-  
mâ cognitio, quod contingentia & mutationis, cujus gra-  
tia hæc commentamur, unica causa sit, ad institutum faciat,  
paucula delibemus. Utimur autem hic eâ *liberi* signifi-  
catione, quâ indifferentiam ad utrumque oppositorum signi-  
ficat. Et illiusmodi libertatem, in homine, si res civiles &  
rationi subjectas spectes, dari, inque voluntate collocandam  
esse, facili probatur negotio. Dari, probatione fere non  
indiget: ab hac enim habent actiones, ut homini laudem  
aut vituperium, præmium pœnamque adferant, prout in  
spontaneis seu ex libertate prodeuntibus, laudes & vitupe-  
rationes existere dicuntur *3. Eth. c. 1.* ut si hæc absit, & homo  
in agendo sic se non gerat, ut actionem possit intermittere,  
ne quidem moraliter egisse censeatur. *Dürr. Diss. Eth. 3. p.*  
*47.* de quo perelegantè Boethius *L. 5. de Cons. Phil. pr. 3.* *Fru-*  
*sira bonis malisq; premia pœnæq; proponuntur, quæ nullus metuit*  
*liber ac voluntarius animorum motus, idq; omnium videbitur*  
*iniquissimum, quod nunc æquissimum judicatur, vel puniri impro-*  
*bos, vel remunerari probos &c.* In voluntate autem solum mo-  
do inveniri, quantumcunque etiam contradictionum appa-  
tu adversum teneat *Piccol. Grad. 2. c. 41.* nobis omnino per-  
suasum est. Nulla enim libertatis specie, nec contradic-  
tionis seu quoad exercitium actus, nec contrarietatis seu quâ  
specificationem, intellectus liber est: non primâ, posito e-  
nim objecto & requisitis, quia necessaria potentia est, non



magis potest rem non cognoscere, sicuti oculus  
apertus in meridie non videre objectum suum: non se-  
cundâ, ut rei quam cognoscit, assentiatur aut dissentiat: vel  
enim res est vera, & necessario assentitur; vel falsa, & neces-  
sario dissentit. Patet id quoque ex communi sentiendi ac  
loquendi modo: si enim interrogemur cur hujus potius  
quam illius rei consideratione occupemur? Respondebimus  
ideo nos facere, quia sic lubet, prout facere quoque defini-  
mus, ubi volumus. *Wendelin. p. 291.* Solam itaque volunta-  
tem hominis formaliter liberam esse evicimus, ita ut possi-  
ris omnibus requisitis, adhuc possit velle & non velle. Idque  
ita, ut eodem etiam instanti & puncto temporis, quo aliquid  
vult, sit libera, idemque possit velle & non velle *de quo plu-  
ra ap. Hornei. L. 2. c. 4. p. 206.* Illustre cerè hujus liberta-  
tis Documentum præbet mutatio voluntatis humanæ, cu-  
jus illa mater est, adeo variabilis, ut usque ad mortem volun-  
tas hominis censeatur deambulatoria *l. 4. ff. de adim. legat.*  
Et hoc quidem non saltem ex potentiâ naturali, sed com-  
petenti etiam jure, uti docet Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 11. n. 2.*  
Dummodo non accesserit ratione futuri talis determinatio,  
ut jus proprium, vel in re, vel ad rem concedat alteri, unde  
moralis necessitas nascatur, quæ non permittat mutare,  
consilium in præjudicium ejus, cui jus quæsitum est *c. 33. X.*  
*de R. J. in. 6. Grot. d. l. n. 4. Coler. d. processu execut. lib. 1. c. 6.*  
*n. 64.* Tum enim locum habet regula: quæ ab initio sunt  
voluntatis, ex post facto fiunt necessitatis. *l. 5. C. de Q. & A. l. 17.*  
*§. sicut ff. commod. c. 12. X. de renunc.* Vel etiam occupetur in  
iis, quæ à jure vel magistratu legitimo modo prohibita sunt,  
*l. 4. ff. de stat. Hom.* quo casu sibi in memoriam merito quis-  
que revocat aureum illud Papiniani *in l. 15. ff. d. condit. in-  
stit. statuentis:* ea quæ lædunt pietatem, existimationem,  
vere-

verecundiam nostram, & generaliter, quæ contra bonos mores sunt, nec facere nos posse, credendum esse. & Ciceronis 3. Tuscul. qqst. voluntas est, quæ quid cum ratione desiderat, quæ autem adversâ ratione incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus stultis invenitur. Speciem mutabilitatis huus nobis exhibuit in Dissert. suâ inaugurali *de mutata Testatoris voluntate*, Prænobilis DN. CANDIDATUS noster, quam eò fine sic satis diligenter elaboravit, uti pro more in Academiis recepto, occasionem, materiamve suppeditaret, non Amplissimæ saltim Facultati, utpote cui profectus ipsius è privato examine sic satis belle constant; sed & quibuscunqve aliis, inqvirendi: Annon honores, quos modestè ambit, ex merito sint decreti? De quo tamen nemo vel inde dubitaverit, qui, quibus Parentibus natus & educatus, quibus etiam Præceptoribus informandus hucusqve concreditus fuerit, ex exhibito nobis vitæ ejus curriculo accuratius cognoverit, ejus paucissima, pro temporis & instituti ratione, nunc subjungenda.

Natus verò est A.O.R. M.DC. LIX. d. 9. April. in Saxoniz inferioris Ducatû, atq; Lauenburgensi, antiquitatis gloriâ non minùs, quam sitis elegantia celebri, Patre, Viro Nobilissimo ac Consultiss. DN. JACOBO Krügeri, qui trium Saxon Inferioris Illustriss. Ducum, utpote DN. JULII HENRICI dein, DN. FRANCISCI ERDMANNI gloriosæ recordationis, & DN. JULII FRANCISCI adhuc felicissimè regnantis, Legationis in Austriam, Bohemiam & Elector. Saxoniam olim Secretarius, post, reddituum Cameralium Præfectus & Consiliarius per multos annos fuit; & non ita pridem Serenissimo ac Potentissimo Daniæ Regi, abs Electoris Brandenburgici Potentissimi Serenitate, ultra meritum commendatus, ad capeffenda munia ac servitia gratiosissimè injuncta, nunc itineri accingitur: Matre verò, adhuc quoque per divinam gratiam superffite, femina sexûs sui virtutibus ornatissima, DOROTHEA Lemben / Senatoris olim Boitzenburgensis filia. Ab his Parentibus optimis, curatissimè habitus, simul ac per ætatem licuit, private domi primùm informationi, de hinc moderamini Rectoris Scholæ Lubec; meritissimi, Celebrissimi HINCKELMANNI, post Famigeratiss

MLCHOVI

MECHOVII Lycæi Lunaburg. Inspectoris, mensæ ac curæ concreditus lau-  
dabiles in latinitate pariter, ac Philosophiâ profectus fecit. Ad altiora,  
autem aspirans, Lunaburgó Francofurtum ad Viad. secessit, primaq; ibi-  
dem, & cum primis sub Nobiliss. ac Excellentiss. DNO. SCHULTHIO  
Prof. Extraord. & Civit. Syndico gravissimo, Juris fundamenta jecit. Li-  
psiensis de hinc invisens, Doctores & Professores Juris Excellentissimos  
DN. CAPZOV. DN. JOHAN. ALEX. Christ/ nunc Scabinatûs Af-  
fessorem graviss. ut & DN. MYLIUM audivit; illisque Autoribus ac  
Ductoribus, ad Institutionum & Digest. Exercit. Ludwellianas, Struvii it.  
Syntagma J. C. & Feud. ejusqve Jurispr. forenses, collegia Lectoria &  
Examinatoria habuit, iisque triennii spatio absolutis, habitâ etiam sub  
præsidio DN. D. Christ. Anno 1679. *de Admenatione*  
pubi. Disputatione, domum reversus est, ubi consilio Illustriss. *Comitis*  
*de Revenac* Legati Gallici, Galliam, Angliamqve visitaturus, ab iti-  
nere tamen à suis revocatus, Almam hanc nostram accessit, atqve & hic  
in Auditoriis publicis auscultando & opponendo, cum non raro se exhi-  
bisset, privatâ potissimum institutione usus Viri Nobiliss. Ampliss. ac  
Consultissimi DN. D. JACOBI Sembten/ P. Juris Celeberrimi, Collegæ  
& Amici nostri honoratissimi, eos per DEI gratiam in Studiis progressus  
fecit, ut nomen suum ante aliquot menses, mihi tum temporis Decano pro-  
fessus, Amplissimæ Facultatis Examine sic satis rigoroso se submiserit. In  
quo etiam talem se præstitit, ut consentientibus omnium & singulorum Suf-  
fragiis, ad publicum quoqve, futurò die XXIX, Augusti, occasione propo-  
sitarum thesium inauguralium subeundam, admittus fuerit. Vos itaqve  
Academiæ Cives universos ac singulos, cujuscunqve ordinis honoratissi-  
mos, cum primis MAGNIF. ACAD. RECTOREM, & Nobilissimum  
Amplissimumqve utriusqve Reipub. Senatûm, Excellentiss. DNN, Profes-  
sores, Collegas, Doctores, Licentiatos, V. Div. Ministros, omnesqve  
studiorum Fautores, observanter, officiosè ac peramanter rogatos volo, ut  
actui huic præsentia vestra honorificâ splendorem addere, amicâ etiam col-  
latione pro lubitu adesse, haud gravemini. Nos de omnibus & singulis, ob-  
latâ occasione, iterum benè mereri, omni studio conabimur.

P.P. Rostochii sub Sigillo Facult. Juridicæ d. XX. Aug.  
A. M. DC LXXII.







verecundiam nostram, & generaliter, quæ com-  
mores sunt, nec facere nos posse, credendum  
ronis 3. *Tuscul. qqst.* voluntas est, quæ quid cum  
fiderat, quæ autem adversâ ratione incitata est ve-  
ca libido est, vel cupiditas effrenata, quæ in om-  
invenitur. Speciem mutabilitatis hu- us nobis  
Dissert. suâ inaugurali *de mutatâ Testatoris v-*  
Prænobilis DN. CANDIDATUS noster, quam eò sine  
gener elaboravit, uti pro more in Academiis re-  
sionem, materiamve suppeditaret, non Amplissim-  
cultati, utpote cui profectus ipsius è privato exam-  
belle constant; sed & quibuscunqve aliis, inqviret  
honores, quos modeste ambit, ex merito sint decreti  
men nemo vel inde dubitaverit, qui, quibus Parenti-  
educatus, quibus etiam Præceptoribus informandu-  
concreditus fuerit, ex exhibitio nobis vitæ ejus cur-  
rarius cognoverit, cujus paucissima, pro temporis &  
tione, nunc subjungendâ.

Natus verò est A.O.R. M.DC. LIX. d. 9. April. in Saxonia  
catu, atq; Lauenburgensi, antiquitatis gloriâ non minùs  
legantiâ celebri, Patre, Viro Nobilissimo ac Consultiss. DN. JAC-  
qviri trium Saxon Inferioris Illustriss. Ducum, utpote DN. JULI-  
cein, DN. FRANCISCI ERDMANNI gloriose recordatio-  
LII FRANCISCI adhuc felicissimè regnantis, Legationis in  
hemiam & Elector: Saxoniam olim Secretarius, post, redituur  
Præfectus & Consiliarius per multos annos fuit, & non ita p-  
simo ac Potentissimo Daniæ Regi, abs Electoris Brandenbu-  
simi Serenitate, ultra meritum commendatus, ad capeffenda  
vitia gratiosissimè injuncta, nunc itineri accingitur: Matr-  
qvovque per divinam gratiam superffite, femina sextis sui virtu-  
mâ, DOROTHEA Lemben / Senatoris olim Boitzenburgens-  
his Parentibus optimis, curatissimè habitus, simul ac per atate  
tæ domi primùm informationi, de hinc moderamini Re-  
Lubec; meritissimi, Celebrissimi HINCKELMANNI, post

